

Franz Albert Aepinus

**Programma Pentecostale, Qvo, De Spiritus Sancti In Credentibus Inhabitatione  
Ac Operationibus Salutiferis Disserens, Ut Ne Malefactis Spiritum S. Expellant ...  
Cives Academicos ... Adhortatur**


Rostochii: Typis Ioh. Iac, Adleri, [1745?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004033575>

Druck Freier  Zugang









J. 512.

—  
1745. Pfingsten

M-1256. 282.



H. 1745

PROGRAMMA  
PENTECOSTALE,

QVO, DE  
SPIRITUS SANCTI IN  
CREDENTIBUS INHABITA-  
TIONE AC OPERATIONI-  
BUS SALUTIFERIS


DISSERENS,  
UT NE  
MALEFACTIS SPIRITUM S. EXPELLANT,  
INHABITATIONE IPSIUS INDIGNOS SESE  
REDDENTES,

CIVES ACADEMICOS  
HONORATISSIMOS,  
ATQUE CUMPRIMIS

STUDIOSÆ JUVENTUTIS COHORTE  
PRO OFFICII RATIONE,

SEDULO MONET AC ADHORTATUR  
MODERNUS ACADEMIÆ VARNO-BALTHICÆ  
R E C T O R,

FRANC. ALBERT. ÆPINUS,  
S. TH. D. PROF. DUCAL. PUBL. ET CONSIL. CONSI-  
STOR. COLLEGGI DUCAL. PROFESSOR. ET FCTATIS  
THEOL. SENIOR, HUIUSQUE H. DECANUS.



ROSTOCHII,

Typis IOH. IAC. ADLERI, SERENISSIMI PRINCIPIS  
& ACADEMIAE Typographi.

M. 1256 282



**P**rimam Novi Testamenti Pentecosten, prout *Actor. Cap. II.* legitur, memorabilem atque per orbem universum celebrem reddiderunt varia, in eâ quæ contigere, magno confluentium undiqve multarum gentium hominum numero spectata miracula celebrandaqve Magnalia DEI, quorum principium & origo singularis ille fuit & extraordinarius Spiritus Sancti super congregatos ibi duodecim Apostolos adventus Hierosolymitanus. Qui sanè, si præsertim salutare illius, in universam Ecclesiam redundantes, effectus omnes ac singulos meditationibus nostris subijcere heic liceret, prolixam nobis, in præsentem, quod Ecclesia Christiana celebrat, Festo dicendi materiam esset suppeditaturus. At verò cum chartæ, scriptiõni huic destinatæ, angustia eorum omnium, quemadmodum merentur, considerationem permiffura non sit; hac vice vel solum illum Spiritus Sancti, quem dixi, super Apostolos adventum sacris nostris Festoque hodierno congruis substernere meditationibus, lubet licebitqve. Nec tamen illius etiam, in se ipso tantum spectati, circumstantias omnes curatius contemplari, animo sedet; sed ab eo duntaxat, ut ædificationi nostræ, quippe quæ hujusmodi scripturarum scopus primarius esse debet, eò magis inferviamus, occasionem acceptabimus, de ejusdem Sancti Spiritus ad nos etiam adventu & in nobis inhabitatione, non nihil verborum faciendi. Quaatumlibet enim haud exigua utriusque differentia sit, dum iste sensibilis, hic autem insensibilis: iste immediatus, hic mediatu: iste miraculis, ad Ecclesiam plantandam necessariis, stipatus, hic autem in Ecclesiâ plantatâ, sine miraculis; effectus tamen ad opus sanctificationis pertinentes utrique communes sunt, quorum aded nos etiam participes, si vera sumus instructi fide, reddimur, quorum igitur considerationem præcipuè necessariam ducimus, dum, quid nostri vicissim erga Spiritum Sanctum, tam eximia nobis inhabitatione suâ bona conferentem, officii sit, condocere nos ac admonere possunt.

Loqvuturus autem de Spiritu Sancti ad nos adventu ac in nobis inhabitatione, neminem, arbitror, inter nos fore, qui hoc cum exclusione reliquarum duarum personarum divinarum, aut humana quoque Christi naturâ, dictum iri, sit opinaturus. Ut enim Pater, *ὁ λόγος* sive Filius, & Spiritus Sanctus, unum essentiâ, seu unum ens sunt, *I. Joh. V. 7.* ita non potest, in operibus divinis ad extra essentialibus, una sine alterâ quid agere, vel una esse, ubi non omnes simul sint, quodque non omnes unâ operentur. Et sicut humana Christi natura Filio DEI *ὑποστατικῶς* & indissolubili-

ter



rer unita, ut unam constituent personam *θεὸν ἑσάρτων*; ita non potest una  
 illius natura esse, aut operari, ubi non sit, ac quod non operetur simul al-  
 tera. Quapropter, quod de Spiritu Sancti ad nos adventu & inhabitatione  
 ac operationibus in nobis dicitur, id de omnibus tribus personis divinis, &  
 de humana quoque Christi natura est intelligendum. Nam & ipsa Scriptura,  
 non DEO solum simpliciter, sed singulis etiam personis Christo quoque  
*θεὸν ἑσάρτων* hunc ad fideles adventum ac inhabitationem in illis nomina-  
 tum tribuit, *Job. XIV. 23. I. Cor. III. 16. 17. VI. 19. Eph. III. 17.* Un-  
 de, perinde quoque nobis erit, siquidem hic omnium eadem est ratio, sive  
 quid hujus mysterii explicandum, sive probandum obveniat, ad allegata  
 hæc aliæque iis similia Scripturæ dicta provocasse, sine habito respectu dis-  
 crimineve, cujus in iisdem Personæ expressa fiat mentio. Nihilominus,  
 non obstantibus de unitate essentiae trium personarum divinarum, deque  
 personali duarum Christi naturarum unionem, modo dictis, unicuique no-  
 strum ignota non est, Scripturæ non minus ac Symbolo Apostolico usi-  
 tata, Appropriatio, quæ uni personæ hoc istudve divinum opus peculi-  
 riter adscribitur, quantumvis ipsum, in se quando spectatur, toti S. S. Tri-  
 nitati commune sit: id quod in ordine personarum divinarum, tam in sub-  
 sistendo, quam in operando, suum habere fundamentum, non immerito ju-  
 dicatur. Atque sic opus Sanctificationis DEI quidem Trinunius opus est,  
*I. Thess. V. 23.* attamen Spiritui S. id ipsum appropriari, condendo loca  
*Rom. I. 4. Tit. III. 5.* accedentibus iis, in quibus effectus sanctificationis in  
 nobis eidem tribuuntur, ut *Pf. CXLIII. 10. Ezech. XXXVI. 27. I. Cor. VI. 11. Gal. V. 22.* alia ut fileamus. Quandoquidem autem Sanctificatio actu-  
 um gratiæ applicatiæ Spiritus Sancti, quamdiu naturalem hancce vitam de-  
 gimus, omnium in nobis ultimus est, quemadmodum ex eorummet or-  
 dine in œconomia salutis nostræ constat, fuit inde necessario, reliquos etiam  
 ab istâ prærequisitos gratiæ actus, sine quibus sanctificatio nostra nec locum,  
 nec fundamentum habere potest, similiter à Spiritu S. proficisci ac depen-  
 dere. Et huc etiam inhabitatio Spiritus Sancti in nobis pertinet, cum omni-  
 um consensu, Sanctificatio gratiæ inhabitantis sit opus, velut ex *Job. XV. 4. 5.*  
 clarè intelligitur.

Circa hunc Spiritus Sancti ad nos adventum, & sequentem eum illius  
 in nobis inhabitationem, vel ut in Systematibus loqui solemus, circa mysti-  
 cam unionem pariter ac unionem Spiritus Sancti cum Fidelibus, varias à  
 vario Adversariorum genere motas, controversias esse, neminem nostrum  
 fugit; quarum tamen nunc solidam instituere vel inquisitionem vel discus-



tionem, præsens noster hic scopus neque requirit, neque patitur. Non tamen possumus non, quin paucis moneamus, sermonem neutiquam heic esse de tali nobis innato nobisque naturaliter ac essentialiter inexistente Spiritu, qui spiritualia & supernaturalia in nobis omnia operetur, qualem Fanatici sibi fingunt ac imaginantur; sed verum illum intelligi, æternum ac infinitum Spiritum S., quem verbum divinum nobis revelavit, quique cum Patre & Filio unus ille verus DEUS est, tertia S. S. Trinitatis persona. Qui sane nobis non connascitur, sed à Patre Filioque, à quibus in subsistendo procedit, mittitur, *Joh. XIV. 26. XV. 26. datur, Ezech. XXXVI. 27. Luc. XI. 13. Joh. XIV. 11. 17. effunditur, Joel. II. 28. Zach. XII. 10. Act. II. 17. Tit. III. 5. 6. Indequè, sicuti Pater & Filius, Joh. XIV. 23: & ipse ad nos venire dicitur, Joh. XVI. 7. 8. 13. Quem ejus ad nos accessum etiam nobis experimus, cum Ecclesiâ canentes: *Veni, Sancte Spiritus! Reple tuorum corda fidelium; & germanicè: Komm Heil. Geist, Herr Gott! vel: Komm Gott, Schöpffer, Heil. Geist, besuch das Herz der Menschen dein, Mitt Gnaden sie full, u. s. w.**

Ex hoc igitur ad nos adventu Spiritus Sancti de illius in credentibus inhabitatione haud difficulter judicari poterit. Scilicet, non consistit eadem in solâ ipsius in illis operatione, quæ Calvino-Reformatorum est sententia, à quâ nec alieni Nostratum nonnulli reperiuntur, quasi meram indiget præsentiam DEI modificatam, quâ DEUS se præsentem esse per certas operationes, & in fidelibus quidem per effectus gratiæ beneficiæque, manifestat. Quam opinionem vel ipsam vocabulum inhabitationis, quod de Spiritu S. prædicatur, quando *1. Cor. III. 16. 2. Cor. VI. 16.* in fidelibus, tanquam in templo suo habitare dicitur, & vel ipsum corpus nostrum templum illius nuncupatur, *1. Cor. VI. 19.* Inhabitatio quippe adessentiam ipsius substantiæ habitatoris innuit ac poscit, nec ad eam operatio in templo, vel domo, usitate propriè loquendo, sufficit, ceu per experientiam constat. Quin & ipse Spiritus S. spirituales in hominibus effectus jam ante, gratiâ assistente, produxit ac operatus est, quam eos inhabitare queat. Habitare namque non potest, nisi in fidelibus & per fidem jam justificatis, qui ipse ipsa essentialis justitia est, *2. Cor. VI. 14.* Non equidem diffremur, conciliare nos non posse, quâ fiat, ut Spiritus Sanctus, qui non in terris nec in locis habitat, *1. Reg. II. 27. Act. VII. 48. 49.* sed cælum & terram præsentia sua replet, *Jerem. XIII. 23. 24.* & ubique præsens est, *Psal. CXXXIX. 7. 8. 9. 10.* nihilominus tamen, id quod approximationem quandam infert, ad fideles veniat atque mansionem apud eos faciat, & in illis inhabitet. Sed acquiescendum nobis est in revelatione divinâ,  
pro-



propriaeque verborum significationi inhærendum, à quâ recedendi nulla hîc cogens necessitas adest. Nam, quando Filius DEI caro factus est, *Joh. I. 14.* seu cum humanâ naturâ, dum suam illi subsistentiam communicavit, se personaliter univit, ut ambæ naturæ unam numero constituent personam Θεάνθρωπον, arctiorem inter illas unionem intercedere, hancque Filii DEI, salvâ nihilominus essentia suæ immensitate, citra ullam illius extensionem, circumscriptionem, aut inclusionem localem, adventum & accessum ad humanam naturam propiorem inferre, vel ipsorum dissentientium nemo temerè negaverit. Quod cum ita sit, cur, quæso, fieri non posset, ut Spiritus S. essentia suæ immensitate salvâ, propius ad fideles accederet, ac ad infideles? Interim adventus ille ac inhabitatio Spiritus Sancti in fidelibus non minus incomprehensibilis nobis est, quam isthæc duarum in Christo naturarum unio personalis, cujus utriusque modum explicare non valemus, utramque tamen, ob auctoritatem divinæ revelationis pie credimus. Nam & Apostolus ipse non modò, quod DEus in carne manifestatus est, ὁμολογούμενος magnum mysterium vocat, *I. Tim. III. 16.* sed etiam de spiritali Christi cum Ecclesia conjugio, (cui inhabitatio Spiritus Sancti in fidelibus respondet) loquens, unionem hanc, quam inde meritò mysticam appellamus, magnum pronunciat mysterium esse, *Eph. V. 32.* Quid? quod ipse, CHRISTUS illud, tanquam in futuro seculo demum clarius revelandum ac intelligendum, insinuet, *Joh. XIV. 20.*

Sed advertendum jam est, inhabitationem Spiritus Sancti non solam in iis, quos inhabitat, adessentiam substantiæ dicere, sed virtutem etiam & efficacem ipsius in illis operationem indicare. Distingvendi heic autem veniunt actus applicativi gratiæ Spiritus Sancti Justificationem antecedentes ac consequentes. Istos in hominibus non repugnantibus, eos vocando, illuminando, regenerando ac convertendo, verbo: pœnitentiam & fidem in illis operando exercet, in justificandis adedò prærequisitos, tanquam justificatione naturâ priores, quos igitur hîc loci præsuppositos à præsente tractatione removemus. Hî verò nostræ hujus erunt considerationis objectum, ut inquiratur, quid ergo in fidelibus jam Justificatis operetur inhabitante suâ gratiâ Spiritus Sanctus? Et sanè magnum hic variorum, quorum ille, quamdiu in fide persistimus atque perseveramus, participes nos facit, magnorumque beneficiorum cumulum offendimus. Cum primis quæ, antequam justificaremur, in nos contulerat bona, non modò confirmat, sed adauget etiam, mensuram illis ampliolem, quanquam in diversis sæpe diversam & in inæquali gradu, superaddendo. A quo namque bonorum spi-



ritualium in nobis est initium, illi quoque tribuendum eorum est incrementum. Et sicut illud in potestate nostrâ non est; ita neque hoc à naturalibus viribus nostris arbitrioque voluntatis dependet, sed obtinet hîc illud Paulinum: *Omnia hæc operatur unus & idem Spiritus, distribuens seorsim unicuique, sicuti vult*, 1. Cor. XII. 11. Generatim, quænam qualesve sint inhabitantis in fidelibus Sancti Spiritus operationes & ab iis provenientes effectus, judicari facile potest extitulis atque denominationibus *Es. XI. 2.* ei tributis. Sed juvat quasdam earum, saltem è præcipuarum numero, speciatim commemorari, quò dignitatem earum ac ad salutem nostram necessitatem clarius agnoscamus, magisque miremur, suspiciamus ac celebremus. Est ipse Spiritus sapientiæ ac intelligentiæ: Spiritus, qui scrutatur omnia, etiam profunda DEI, & quæ DEI sunt, novit, 1. Cor. II. 10. 11. Et hinc nos, quæ naturalis intellectus noster aded nec capere, nec intelligere potest, ut potius ipsi stultitia sint, 1. Cor. II. 14. tam mysteria essentia divina, quam voluntatem Domini, quò cum rectè credere, tum debite vivere discamus, in Verbo nobis revelavit, 2. Pet. I. 21. coll. 2. Tim. III. 16. eoque mediante nos docet, *Joh. XIV. 26.* ac obtenebratum intellectum nostrum illuminat, 2. Pet. 19. operâ fidelium Ecclesiæ Ministrorum, quorum itidem missionem Spiritui S. debemus, *Actor. XX. 28.* Verbum istud nobis annuntiantium, ad quod eos etiam donis ministrantibus instruit, 1. Cor. I. XI. 4. - 12. interveniente, 1. Cor. III. 5. 6. 9. Atque ne forsan vel ipsi, corrupto naturaliter intellectu nostro circa mysteriorum divinarum voluntatisve DEI cognitionem à veritate aberremus, vel ab Hæreticorum versutiâ nos in errorem seduci patiamur, ipse, ceu Spiritus veritatis, non solum, spiritum i. e. Verbum ab ipsomet inspiratum, veritatem esse, testatur, 1. Joh. V. 6. sed etiam per illud in omnem nos veritatem ducit, *Joh. XVI. 13.* ut sciamus, quæ a DEo donata sint nobis, 1. Cor. II. 12. Sic ergo fidei, quâ jam ante, per Baptismum nos regenerando, nosmet donaverat, *Joh. III. 5. Tit. III. 5. 6.* inhabitante gratiâ robur addit & incrementum. Quando verò per fidei collationem nos, qui filii iræ natura eramus, *Eph. II. 3.* in filios DEI regeneravit, *Gal III. 26. 27.* ut ejus certi simus, inhabitans in nobis testatur, utique nos esse filios DEI & filiationis vi, hæredes etiam DEI ac cohæredes Christi, *Rom. IX. 16. 17. Tit. III. 5. 6. 7.* Facebant itaque Papistæ, spem salutis nostræ ac omnem erga nos gratiam divinam, remissionem peccatorum atque justificationem, incertam nobis dubiamque reddere nitentes, vel ad summum non nisi conjecturalem tantum illius scientiam relinquentes. Est namque testimonium Spiritus Sancti divinum, adeoque certissimum ac infallibile, cui quam tutissimam adhibere



bere possumus fidem ac confidentiam. Sed mittimus istos, cum plura nobis miranda supersint bona, quæ inhabitantis Spiritus Sancti gratia in nobis operatur. Scilicet, posteaquam nos de nostrâ apud DEum filiatione testimonio suo certiores fecit, efficit etiam, quod cum confidentiâ throno gratiæ accedentes, ut accipiamus misericordiam, & gratiam in veniamus in opportunum auxilium, *Ebr. IV. 16.* tanquam dilecti filii Patrem nostrum cælestem precibus compellere queamus, sicuti Spiritus precum, i. e. preces in nobis operans, *Zach. XII. 10.* dicitur, & ad eum clamare possumus: Abba, Pater! *Rom. IX. 15. Gal. IV. 6.* Quid? quod infirmitates nostras coadjuvans, cum quid precari debeamus, sicuti decet, non scimus, ipsemet insuper pro nobis intercedit gemitibus inenarrabilibus, *Rom. IX. 26.* Quandoquidem autem fidelibus in hac miseriarum valle variis cum malis, afflictionibus ac adversitatibus, ad bonum tamen nostrum directis, *2. Cor. IV. 17. Rom. II. 28.* colluctandum est, neque in his operatione suâ nosmet destituit inhabitans in nobis Spiritus S. Nam consolatione divina, ne tribulationibus succumbamus, efficit, unde καὶ ἐξοχῆν quasi, Paraleti nomen ei tributum novimus, *Job. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 7.* Quoniam & DEus, etiamsi nullum in salutem nostram causalem influxum præstet, vitæ sanctimoniam à salvandis tam serio requirit atque postulat, *Levit. XI. 44. XIX. 2. XX. 7. i. Pet. I. 15. 16.* ita quidem, ut sine eâ nemo visurus sit Dominum, *Ebr. XII. 14.* Id propter inhabitans Spiritus S. modò non ipsi resistamus, quod ipsi, ceu superius dictum, appropriatum est, opus sanctificationis, quantum in fidelibus, per vitam hanc, residuæ peccati reliquiæ permittunt, exercet atque peragit. Constat hoc ex claris supra jam allegatis Scripturæ dictis, cum primis *Ezech. XXXVI. 26. 27. Gal. V. 22.* in quo loco fructus inhabitantis Spiritus Sancti recensentur ab ejus opere sanctificationis producti. Utque paucis multa tandem complectar, quicquid honorum spiritualium Justificationem nostri coram DEO consequitur, quorum, recensioem quandam Apostolus *Rom. V. 1. - 6.* instituit, id Spiritui S. in justificatis habitanti acceptum referre nos oportet.

Tot igitur tantaque cum sint, quæ habitans in nobis Spiritus S. operatur nobisque beneficia confert, unumquemque fidelem veræque pietatis sincerè studiosum intelligere, reor, quid nostri vicissim sit erga Spiritum S. officii. De quo prolixè quidem fari heic possem, nisi chartæ angustia brevitatis imponeret necessitatem. Ante omnia vero, memores istius Paulini: *Quis prius dedit ei, ut vicissim reddatur ipsi? Rom. XI. 35,* ad gratitudinem



dinem & gratiarum actionem ei nos obstrictos agnoscamus, oportet. Deinde sedulo cavendum est, ut ne salutare illius, quos in nobis operari vult, effectus, præfractè resistendo, impediamus ipsi, dicique de nobis queat, quod Judæis olim exprobrabat Stephanus ille Protomartyr, *Act. VII. 51.* Ideoque solliciti simus, ne quando peccatis præteritis voluntariæ malitiæ & improbitate vitæ Spiritum S. è nobis expellamus & à nobis abigamus. Sanctus enim cum ipse sit, non nisi in sanctis habitat. Iniquitates autem nostræ dividentes sunt inter nos & inter DEum nostrum, & peccata nostra abscondunt faciem ejus à nobis, *Es. LIX. 2. coll. Sap. I. 5.* Vitanda propterea est & cane pejus, uti proverbium habet, angueque fugienda multorum illa malorum genitrix, contra quam Paulus *Eph. V. 18.* monet: *Ne inebriemini vino, (aliove potus genere) in quo asotia est, sed impleamini Spiritu.* Et, ne habitationem ille suam, quia purus Spiritus est, ob impuritatem deserat, castitati cum animæ, tum corporis studendum est operaque danda, ad quam serio graviterque hortatur idem Apostolus Christi, *I. Cor. VI. 13. ad fin. cap. juncto Gal. V. 16.* Verbo: *Si vivimus Spiritu, Spiritu etiam ambulemus,* iterum Apostolo monente, *Gal. V. 25.* Effectus etenim carnis inimicitia est adversus DEum, siquidem Legi DEI non subjicit se, neque enim potest, *Rom. IIX. 7.* Cavete verò, ne contristetis Spiritum S. DEI, per quem obsignati estis in diem redemptionis, *Eph. V. 30.* Quamobrem opera carnis, quæ fugit Spiritus Sanctus, & propter quæ parantibus ea inhabitantem gratiam suam subtrahit, quorum aliquot Paulus *Gal. V. 19. 20. 21.* recenset, vitanda quam studiosissimè sunt, quoniam eadem operantes regnum DEI non sunt hæreditarij. Si namque secundum carnem vixeritis, moriemini: Si vero Spiritu actiones corporis mortificatis, vivetis. *Rom. IIX. 15.* Hic autem, CIVES OPTIMI! cum Apostolo *2 Cor. XIII. 5.* Vos alloquor hortorque: *Tentate Vos ipsos, an sitis in fide: Vos ipsos probate,* num de inhabitante in Vobis Spiritu S. gloriari possitis? Agnoscetis id autem ex memoratis jam *Gal. V. 22.* fructibus: effectus quippe de causâ suâ testantur. Tu verò, Domine! doce nos facere voluntatem tuam; quia Tu DEus noster: Spiritus tuus bonus ducat nos omnes in viâ rectitudinis. Amen!

---

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI ACADEMICO,  
 Feria I, Pentecostes, d. 6. Junii, Anno MDCCXLV.













bere possumus fidem ac confidentiam. Sed mittimus istos, cum  
 nobis miranda supersint bona, quæ inhabitantis Spiritus Sancti  
 nobis operatur. Scilicet, posteaquam nos de nostrâ apud DEUM  
 ratione testimonio suo certiores fecit, efficit etiam, quod cum con-  
 throno gratiæ accedentes, ut accipiamus misericordiam, & gratiam  
 niamus in opportunum auxilium, *Ebr. IV. 16.* tanquam dilecti filii  
 nostrum cælestem precibus compellere queamus, sicuti Spiritus  
 i. e. preces in nobis operans, *Zach. XII. 10.* dicitur, & ad eum  
 possumus: Abba, Pater! *Rom. II. 15. Gal. IV. 6.* Quid? quod  
 mitates nostras coadjuvans, cum quid precari debeamus, sicuti de-  
 scimus, ipsemet insuper pro nobis intercedit gemitibus inenarra-  
*Rom. II. 26.* Quandoquidem autem fidelibus in hac miseriarum  
 riis cum malis, afflictionibus ac adversitatibus, ad bonum tamen  
 directis, *2. Cor. IV. 17. Rom. II. 28.* colluctandum est, neque in-  
 peratione suâ nosmet destituit inhabitans in nobis Spiritus S. Na-  
 solatione divina, ne tribulationibus succumbamus, efficit, unde  
 quasi, Paracliti nomen ei tributum novimus, *Job. XIV. 16.*  
*26. XVI. 7.* Quoniam & DEUS, etiamsi nullum in salutem nostram  
 falem influxum præstet, vitæ sanctimoniam à salvandis tam serid-  
 rit atque postulat, *Levit. XI. 44. XIX. 2. XX. 7. i. Pet. I. 15. 16.* ita  
 ut sine eâ nemo visurus sit Dominum, *Ebr. XII. 14.* Id propter  
 tans Spiritus S. modò non ipsi resistamus, quod ipsi, cui supe-  
 ritum, appropriatum est, opus sanctificationis, quantum in fidelibus  
 vitam hancce, residuæ peccati reliquiæ permittunt, exercet atque  
 Constat hoc ex claris supra jam allegatis Scripturæ dictis, cum  
*zech. XXXVI. 26. 27. Gal. V. 22.* in quo loco fructus inhabitanti-  
 tus Sancti recensentur ab ejus opere Sanctificationis producti. Ut  
 eis multa tandem complectar, quicquid honorum spiritualium Jus-  
 nem nostri coram DEO consequitur, quorum, recensionem quanda-  
 stulus *Rom. V. 1. 6.* instituit, id Spiritui S. in justificatis habitan-  
 ptum referre nos oportet.

Tot igitur tantaque cum sint, quæ habitans in nobis Spiritus  
 ratur nobisque beneficia confert, unumquemque fidelem verèque  
 sincerè studiosum intelligere, reor, quid nostri vicissim sit erga  
 S. officii. De quo prolixè quidem fari heic possem, nisi chartæ  
 brevitatis imponeret necessitatem. Ante omnia vero, memores in-  
 lini: *Quis prius dedit ei, ut vicissim reddatur ipsi? Rom. XI. 35.* ad

